

raconensi à Legione vii Germanica regnum nunc Leon dicitur, & Legionem xx, quam Britannicam, Valentem Vietricem, atque Valeriam Vietricem alii falso dicunt, hac in urbe egisse Ptolemæus, Antoninus, & Septimii Getæ numerus antiquus comprobent, è quo hanc etiam Coloniam fuisse constat: inscribitur enim in parte aversa C. O. L. D. I V A N A L. E. G. x x V I C T R I X. Romanæ autem magnificientiae argumenta nunc supersunt paucula præter pavimenta tessellata, superiori ætate plurima exhibuit, quod suis verbis Ranulphus hujus urbis monachus è suo Polychronico tibi dicet, *Vie sunt hic subterraneæ lapideo opere mirabiliter teſſudineatae, triclinia concamerata, inſculpti lapides prægāndes antiquorum nomina præferentes, hic & numismata Iulii Cæſaris, aliorumque illuſtrium inſcriptione inſignita quandoque ſunt effoſſa.* & Rogerus Celfrenſis in Polycratico, *Intuenti fundamenta lapi- dum in viis enormium videretur potius Romano, ſive gi- ganteo labore quam Britannico ſudore fundata. Vrbs hæc quadrata forma, mœnibus, quæ duo plus mill. pass. ambitu colligunt, includit; xi parochia- les Ecclesiæ numerat, caſtrum eminet prope flu- men à Comitibus constructum, ubi fora Palati- natus, & Aſſise, (quas vocant) bis quotannis ha- bentur. Aedificia ſunt nitida, & projectis moenia- ni porticus utrinque per primarias plateas du- cunt. Sed rebus ſecundis non perpetuo tenore uſa- eſt, primum ab Egfrido Nordanhumbrio, inde à Danis exciſa, restaurata tamen ab Aedelfeda Merciorum Domina, ſtatimque Eadgarum Re- gem de Britanicis principibus pompa magnifi- ca triumphantem vidit. Iſum enim triumphali na- vicularia ad proram ſedentem Kinnadius Rex Scotorum, Malcolinus Cimbrorum, Maconus Manniæ & Insularum, omnesque Walliæ prin- cipes in fidem adacti, quaſi remiges remis incum- bentes per Devam fluvium lato ſpectaculo duxerunt. Inſequente tempore, circa annum repara- tæ Salutis c. 10 LXXXIII, cum pia æmulatione, ut inquit ille, Ecclesiæ basilica decentiore forma exurge- rent, & orbis Christianus quaſi excutiendo ſemet, rejecta vetuſtate paſſim candidam Ecclesiæ uestem indueret, Ecclesiæ quam Leofricus Comes in honorem Werburgæ virginis posuerat, Hugo primus è Normanno- genere Cestriæ Comes restaurovit, & authore Anſelmo, quem è Normannia evocarat, monachis concesſit. Nunc vero Henrici IIII Ger- maniæ Imper. ſepultura, quem abdicato imperio heremiticam hic vitam duxiſſe ajunt, & Episco- pali ſede celeberrimum. Quam ſtatiuſ à Norman- nica victoria Lichfeldensis Episc. Petrus à Lichfel- dia huc tranſtulit, ſed ea ad Conventriam, & poſtea ad ſedem ſuam priſtinam reducta, Deva diu hac dignitate viuata jacuit, donec patrum memoria Henr. VIII exturbatis monachis Præbendarios in- ſtituerit, & denuo Episcopum restituerit, cui hunc agrum, Lancastrenſem, Richmondiam &c. ſubjecit, & in jurisdictione Archiepiscopi Ebora- censis eſſe juiſſit. Verum ad vetuſtiora gradum re- feramus. Cum jam templum conditum eſſet, Nor- manniæ Comites mœnia, & caſtra adjecerunt. *Vti enim Episcopus tenuit de Rege quod ad ſuum pertinet Epi- scopatum* (ſic enim legitur in libro, quo Angliam censuit Guilielmus Magnus) ita totam reliquam ci- tatis partem Comites cum ſuis hominibus de Rege tenuerunt. Chester Colonia Romano- rum.*

The Ro- wes.

Circiter au. 960.

Ecclesiæ resta- ræ. Glaber Rodol- phus.

Geldabat autem pro l. hidis, erant domus CCCCXXXI, que geldabant, Monetarii autem ſepem. Quando Rex ipſe ibi veniebat reddebat ei unaquaque Carrucata cc. Hefthas, & unam cunam plenam cervisie, & unam butyri rufcam. Et ibidem, Ad murum ciuitatis & pontem readificandum de unaquaque hida Comitatus unum hominem venire pre- poſitus edicebat. Cujus homo non veniens Dominus ejus XL ſolidos emendabat Regi & Comiti. Si velitationes inter Wallos & Anglos primis Normannorum tempo- ribus, incuſiones, excuſiones, ſuburbii de Han- bid, ultra pontem iterata incendia, unde Treboeth Wallis, id eſt, Oppidum incenſum dicitur, & murum è Wallorum craniis longe ibi ductum ſigillatim perſequeret, mei oblitus in Historicorum meſſem falceſem immittere viderer. Iam inde vero in pri- mis floruit Cestria, Comitatumque per le incorpo- ratum Rex Henricus VII inſtituit. Nec quicquid abeft, quod in florentiſſima ciuitate deſideretur, niſi quod Oceanus molendinis quibusdam in De- va alveo quaſi ſaccensens ſe tenuiſ ſubduxerit, nec ciuibis, ut pridem, portus opportunityatem præbeat. Longitudinem gradibus xx, ſcrup. xxiii, Latitudinem gradibus liii, ſcrup. xi, deſinitam habet. Si plura de hac urbe deſideres hæc habe ex Luciano illo Monacho qui ante annos fere quingentos vixit, Primo videndum quod Cestria, que adiſicatur ut ciuitas, cuius poſitio invitat aſpectum, que in Occiduiſ Britannie poſita legionibus ex longinquu ve- nientibus receptoria quondam ad repauſandum fuit: & Romanis ut ſeruent limitem imperii, claves, ut ita dixe- rim, Hibernorum cuſtodiore ſufficit; nam contra aquilonare cornu Hibernie oppoſita non tam crebro quam continue ob cauſas meantium & commoda mercium diuersarum, velis aptatis viam aperit curribus navium atque nautarum. Dumque in Orientem protendit intuitum, non ſolum Roma- nam ante ſe cathedralē & imperium, verum & orbem pro- ſpicere univerſum: ut tanquam ſpectaculum proposita ſit obtutibus oculorum. Fortia facta, ſeries longiſſima rerum, & quicquid in orbe, quibusque personis, locis, temporibus bene geſtum etiam cognoscantur, quod male actum etiam caveatur. Que à ventis quatuor portas quatuor habens ab Oriente proſpectat Indiam, ab Occidente Hiberniam, ab Aquilone majorem Norweſiam, à Meridie eam quam di- vi- na ſeruitas ob ciuiles & naturales diſcordias Britanniſ re- liquit angularem anguſtiam. Que olim diſidiis & odiis amariſ Britannię in Angliam mutavere, & quibus ad- buſ moribus fulgeant qui vicinantur eis cum lachrymis le- gunt. Habet præterea noſtra Cestria ex Dei munere di- tantem atque exornantem amnem, ſecus urbiſ muros pul- chrum atque pifcoſum & à Meridiano latere receptorium navium ab Aquitania, Hispania, Hibernia, Germania ve- nientium, qui (remige Christo) per laborem & pruden- tiam mercatorum bonis pluribus reparant & reficiunt urbiſ ſiniū, ut modis omnibus conſolati per gratiam Dei noſtri etiam frequenter, uberior & profuſius bibamus vi-num: quoniam illa regionum loca gaudent proventibus vinearum. Præterea reumate quotidiano non ceſſat eam revisere maris patentissima plenitude, que aperti & operti latiſſimiſ arenarum campis indeſinenter grata vel ingrate aliiquid mittere vel mutare conſuerit, & ſuo acceſſu vel recessu afferre quippiam vel auferre.

Ab urbe in Circium procurrit laxior Chero- nessus hinc Deio aſtuario, illinc Merſeo concluſa, nos Virall, Britanni, quod angulus ſit, Kill-gury vocant: olim tota ſaltuosa & inculta fuit, ut per- hibent incolæ, ſed Deforeſtavit Edwardus Ter- Britannia.

D d d d tius.